

Oratio qua apologus de religione sectatores suos recognoscente & Iustrante narratur

Autor(en): **Wirz, Conrad**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 16

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394656>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



ORATIO

Qua *APOLOGUS* de Religione

Sectatores suos recognoscente & lustrante
narratur. (*)

DIu dubius incertusque pende-
bam animo, an anniversariam hanc publice dicendi
provinciam alii venerandorum Collega-
rum traderem, & vacatione, quam sibi
& mihi proximi decessores fecerant, uterem; an
vero ipse mihi hoc quidquid oneris est, impone-
rem, & anteriorum Antistitum morem redauspi-
carer. Nam utrum tandem cumque eligerem,
sæculi nostri genius effecerat, ut difficultates non-
nullas ante oculos mihi proponerem, quæ men-
tem

(*) Recitata est hæc Oratio pridie Feriarum Felicis &
Regulæ IV. Id. Sept. an. MDCCXXXIII a Viro gra-
vissimo, summeque venerando J. CONRADO WIRZ,
Ecclesiarum Turicens. Antistite meritissimo.

tem nunc huc nunc illuc dividebant, suspensamque detinebant. Si enim horam isthanc feriatam haberem, suspicabar, illos qui aliorum, etiam innocentissimorum, facta aut non facta in peiorem partem rapere & censoria virgula notare solent, calumniaturos, facile otiandi occasiones captari, & in dies rariores fieri, qui sese laboribus frangunt. Sin ipse cathedram conscenderem, subverebam, ne iidem, perverso obtrectandi studio, me ostentationis cujusdam aut ambitionis criminationibus peterent & differrent, & in eorum numero esse dicitarent, qui audiri quam audire mavelint. Re vero curatius pensitata, me rectissime facturum duxi, si nihil subterfugerem, quod jure aliquo a me expectari posset, non magnopere laborans, quidquid male cupientes musitent & susurrent. Fixum enim immotumque animo sedet, non terreri

- - - *Mauri jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis
Pharetra;*

sed cursum auspiciis divinis coeptum persequi, donec a supremo rerum omnium Arbitro, ad cuius nutum voluntatemque me totum converto, evocer, satis superque habiturus, si ei prober, qui penitissima pectoris consilia novit, & aliquando a cunctis vitæ rationem reposcet. Cur morer, quid suspicentur, aut loquantur invidi & lividi, dum, cælo teste, innocens mihi fraudisque purum pectus & recti sequax constet?

Accessit gravissimus jussor, exacta ætate, meritis in rep. litterariam, mentis acrimonia, vividique

dique pectoris documentis summe venerabilis, qui, cum superiore anno, *Caroli Magni* memoriam solemni oratione celebraturus, *Carolo VI.* Romanorum Imperatori parentare institueret, in sermonis exordio scite, ut si aliud ageret, aurem vellit & admonuit, ut majorum exempla denuo mihi imitanda proponerem. Id quod plurimum apud me ponderis habuisse non diffiteor, quippe exceptum ex ore ingentis viri & patris vice suspiciundi, cujus senecto corpori ut sero fatum manus injiciat, ex animo precor, & juxta mecum precaturos confido omnes, qui eruditionem & virtutem in pretio habent. Nam licet illum longævitas tandem oppressura sit, semper tamen mortem ante maturum diem heros auferre putem, quos numquam mori deçet.

Hoc igitur consilio animoque in conspectum vestrum prodeo, *Auditores Honoratissimi*, in præsentia verba ad vos facturus de re non implicata & obscura, sed plana et intellectu facili, de re non vili & contemnenda, sed maximi momenti, &, nisi me omnia fallunt, cum vestris auribus, tum mea persona, & temporis ratione apprime digna, *de Religione* scilicet, eaque *Christiana*, *Señtatores suos recognoscete ac lustrante*. In hujus argumenti explicandi cogitationem hoc lubentius & promptius incidi, quod serie aliqua connexum esse videbatur cum eo, quod *Vir egregie doctus*, & quinquaginta circiter annos in pulvere scholastico maxima cum laude versatus, ante hos sex septemve menses, *de Jehova*, *vexillo Ecclesiæ*, erudite, pie & ornate disseruit. Ex iis enim, quæ nunc proferre animus est, manifesto patebit om-

nibus , quales sint , & quales esse oporteat , qui sub *vexillo Jehovæ* agunt.

Solent qui pro concione dicunt , multa præfari de tarditate ingenii , de doctrinæ penuria , de dicendi imperitia , & Auditores obnixe rogare , ut ne cincinnos ac fucum orationis , aut mellitos verborum globulos , & omnia dicta quasi papavere & sesamo sparsa expectent. Ego vero deprecationibus istis & ambitu , præsertim in Virorum gravium & prudentium *παινηύξει* , superferri posse existimo , quia , quisquis Oratoris munus sustinet , ab omnibus tantum præstare iudicatur , quantum potest , nec declamandi aut more rhetorico loquendi , sed plane & simpliciter dicendi causa prodiisse existimatur. Et cum Auditores audiendi gratia convenisse censendi sint , quid opus est , magno verborum apparatu audientiam sibi facere ? Nihil itaque , prius quam in rem præsentem veniam , mihi restat , nisi ut a vobis jure quodam mutuo eam in audiendo & iudicando voluntatem atque æquitatem petam , quam ipsi vobis præstitam velletis , si in hoc suggesto staretis.

Agedum , Auditores , *Duce Deo & Auspice Jesu* , ad instituta pergamus.

Nulla umquam gens tam fera atque barbara fuit , quin ex congenitæ rationis notionibus agnovit , mortales , quotquot terram colunt , ad *Religionem* , seu ad verum cultum omnipotentis , sapientissimi & benignissimi Dei factos natosque esse , nec quemquam , donec hac vescitur aura ,
 vel

vel unicum temporis momentum ab religionis officii hujus liberum prætermittere posse. Aeternus Dei Filius, cum ex cœlestis patris jussu ac voluntate, natura conveſtitus humana, hominibus sese præſentem liſteret, communem hanc ἐννοιαὶν imiſſam penetralibus non venit oblitteratum, ſed magnopere in eo laboravit, ut altius inſingeret, & a multis malitiæ & inertię humanæ involucris, & quaſi velis, quibus obtendebatur, expeditam in clariffima luce poneret. Quo factum, ut interpretis divini munus fungens, talem conderet *Religionem*, & ſanguine ſuo obſignaret, quæ ſeſe Divinitate, Sapientia, Præſtantia & Sanctitate ſua Conſcientiæ uniuſcujuſque, qui ſaltem Numine aliquo tangitur, quam maxime commendat.

Videas proin, omnes qui a Chriſto Chriſtiani vocantur, & præcepta ejus ore profitentur, sæpe numero inter ſe de Religione colloqui, & eos etiam, qui parum religioſi habentur, crebris illam ſermonibus ferre. Animadvertas, complures vehementer commoveri, ſi quos audiant minus honorifice & magnifice de Religione ſentire, & acerrime propugnandam atque ab improborum injuriis deſenſitandam clamitare, ut ſamæ ſerviant, & protectorum ac ἡμεγαλιωτων nomen apud poſteros adipiſcantur. Facile intelligas, multo maximam partem habitum Religionis, ſimulatione magis quam ex animo, induere, & data opera ſe hoc mantello circumdare, ut habeant, quo fraudes & impoſturas ſuas & mendacia ſubdola tegant.

Quamnam igitur veram *Sectatorum Religionis Christianæ* conditionem esse putatis? Spero non ingratum vobis futurum, si id ex *Mythologia Christiana* paullo tectius exposuero; quia dubium mihi non est, istiusmodi dicendi genus, quibusdam velut emblematis exornatum, ad invitandam & excitandam attentionem in primis esse accommodatum, & Auditori materiem cogitandi relinquere. Quare paullisper, dum hanc telam pertexuero, vacivas præbeatis aures, oro.

RELIGIO, cujus sanctum semper inviolatumque nomen apud bonos quoscumque fuit; *Religio*, cujus arctissimo vinculo obstricti Deo, & *religati* sumus, ut iusta illi & debita obsequia præbeamus, ut hunc solum noverimus, hunc sequamur; *Religio*, inquam, *Christiana*, quæ Christum mundi repertorem & statorem auctorem habet, & planissimam ac certissimam ad beatam immortalitatem perveniendi viam commonstrat; *Religio* isthæc sensit se in ea incidisse tempora, quibus undique premeretur, & nunc aperto Marte, nunc per cuniculos impeteretur, non ab Judæorum cohortibus, non a Saracenorum & Maurorum turmis, non ab aliarum superstitosarum gentium catervis, sed ab iis, qui in Christianorum Scholis educti institutique, Religionis speciem præ se ferunt.

Erant quidem satellites nonnulli, qui, cum Religionem anxiam & sollicitam viderent, levamen in eo quærebant, quod non deessent, sed in dies majore numero prodirent, qui Religionis causam tuerentur, & pro veritate ac divinitate
illius

illius fortiter loquerentur & scriberent ; sed id ipsum magis sollicitam habebat , quod non tot patronis , & defensoribus indigere videbatur , nisi ingravesceret malum , & qui omnem Religionem funditus everfam cupiunt , animos tollerent.

Cum igitur tristes nuntii aures quotidie Religioni verberarent , & ipsa conspiceretur , palantia hostium agmina circa regiam suam volitare , nec religioni habere , infestissimis animis in res sacratissimas incurrere , & pietatis Christianæ fundamenta ac munimenta labefactare ; tandem in animum induxit suum , *lustrare cives* , & arma eorum explorare , ut perspiceret , quid spei sibi relictum esset , si signa cum hostibus conferenda forent.

Exercitu stato die in unum locum conducto , innumerabilis propemodum turba visa est , majorem quam pro numero speciem gerens , ex omnibus gentibus composita , armorum fulgore oculos perstringens. Quo aspectu ponere metum cœpit , non dubitans , se tot corporibus roboris minarumque plenis stipatam , ab omni periculo tutam esse. Animo itaque recepto , virtute & fide militum nixa , adversariis , quantumvis callidis & potentibus , parem se fore credidit , & sive eminus , sive conlato gradu dimicandum esset , secundum eventum , victoriamque præcepit.

Sed ubi propius accessit , ut eos , qui nomina ad vexillum suum professi fuerant , *cominus* conduceretur , pæne exanimata concidit , & ingenti timore concussa omnibus diffidere cœpit , quod

exercitum numero quidem amplissimum, sed nullo usu firmatum, & hebetem prorsus atque imbellem deprehendebat, quem in adspectum hostium adducere non auderet, quippe vim & impetum eorum non sustenturum.

Miramini, & quænam tam subitæ commutationis in diva viragine fuerit causa? Rem omnem paucis accipite.

Quæ procul *ferrea chalybeiaque arma* videbantur, quorum virtute victoria paratur, nil nisi *nugæ* fuerant, & caduca ac fragilia puerilibusque consentanea *crepundiis*; qui infantilis apparatus *Comico* est *ensiculus aureolus, securicula aurea, sicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ, & sicula, & porculi, & bulla aurea.* Arma profecto, quæ neque tegunt neque vulnerant quemquam, & horridæ hostium aciei, qualis hoc tempore ex ignotis antea Pannoniæ angulis, & ex montana Caledonia excitorum fertur, animum addunt.

Quod *Gladii* in utramque partem secantis & bis timendi speciem referebat, quo sub duce Jesu militantes hostiles ictus propulsant, & in adversa acie stantibus letalia vulnera impingunt; non nisi *plumbei pugiones* erant, & *verborum inanitates*, quæ, ut primum ore missa sunt, tenues in auras evanescent, & quasi inter primum halitum vivere desinunt.

Quæ *Loricarum* formam habebant, quibus pectus adversus telorum & globorum jactus communiri solet, non nisi *lintea pectoralia* erant, ex
 findone

findone voluptatis confecta , & auro , ac coloribus variis muliebriter intexta , quibus se induere consueverunt , qui in regum aulis versantur ; ut non anceps ex cultu isthoc coniectura esset , quantopere mens effeminata , & in mollitiem proclivis atque discincta huc illuc fluitaret.

Qui eminus *Galeis* , seu ferreis capitum munitis , induti videbantur , (caput enim inter præcipua tuendum est militi , tum quia letiferi ferme sunt ictus qui in eam partem cadunt , tum quia toti corpori caput imperat) *cereis* , & feminarum manibus artificiose cincinnatis atque adornatis *cristis* superbiebant , quæ utique non vulnera faciunt , sed igni æstuque solis liquefcunt , vel voluptate & mollitia diffluunt.

Quos *Scuta* ferro nervoque firmata sinistra tenere putabat , ut ictus exciperent , & glandes ab hostibus missas repellerent , *pictas* , & majorum imaginibus fulgentes *chartas* manu gestabant , per quas hostilia pila facile transeunt ; vetera puta & nova humani cerebri *inventa* , pro quibus tamquam pro aris & focis certatur , sed quæ re vera nullius frugis sunt , & ad Lydium oraculorum divinorum lapidem collata confestim vim omnem atque auctoritatem perdunt.

Qui e longinquo prælongis , & ferro præfixis *hastis* ad pugnam parati visebantur , ut , ex veterum more , vel ora , vel pectora adversa appeterent , levissimis humanarum conjecturarum *arundinibus* instructi erant , quæ , quod incertæ sunt & fundamento destitutæ , sine suo ut plurimum
K k §
carent ,

carent , & vel obiter tentatæ ac ventilatæ , casum minitantur.

Quid militaria *Signa* & *vexilla* , quibus imperatorum nomina inscribi solebant ? Purpureo & cæruleo colore ita splendebant , ut oculorum aciem præstringerent. Sed quo propius accedebatur , *aranearum operæ* & telæ se visui præbebant , a perverfis ratiocinatoribus , & popularis auræ vilibus mancipiis , quibus fordent , quæcumque ex sacro codice hauriuntur , contextæ , & brevi ita ruptæ & dilaceratæ , ut ne tenuissimum quidem filum superfit.

Quid *Calcei* ? Militem caligatum esse oportet , ad majorem pedum tutelam , & perferendas itinerum ac viarum molestias. Sed heic in adspectu erant *sandalia* tenuia , serica , auro intexto fulgentia , lecticis magis , quam sabulosis , paludosis & lutosis locis apta , quin etiam eorum simillima , quæ ab Romani cœtus *discalceatis* geruntur , & ludicri fastus luxusque indicia , ex quibus conjectu proclive erat , quam incerto starent *talo* , qui timerent plantis pedum terram contingere , & quam fluctuanti essent animo , ad incedendum per confragosas , & externis impedimentis quasi muricibus quibusdam stratas prudentiæ , & modestiæ , & temperantiæ , & aliarum virtutum a Christo præceptorum vias.

Quid *Balistæ* & *Bombardæ* , quæ cum sonitu & flamma globos ferreos emittunt ? Erant *cannæ Indicæ* , seu *cinnama* odora , ita fabrefacta , ut sonum ederent , qui multitudinis levitatem voluptate

te quasi titillat. Quid *pulvis nitratus* & sulphureus? *Papaver* erat, non e somno excitandi, sed in soporem collocandi vim habens. Quid denique *pilæ glandesque*, quæ jam in Romana militia ad vulnerandum fundebantur? *Vitræ* erant diversi coloris, sed nullius in bello usus.

Unde, obsecro, levis isthæc, & ad pompam ac scenam magis, quam ad militiam comparata armatura, in exercitu ad bella, contra principem tenebrarum ejusque socios, pro causa Dei, pro meritissimo Sospitatore Jesu, pro salute æterna, gerenda evocato, & tot sacramentis, immortali Imperatori obstricto? ut rem meram loquar cogente vero, non solum diuturnitate & dulcedine otii, & copia atque rerum omnium affluentia, sed etiam tribunorum dissensionibus, factionibus & socordia factum est, ut arma ex divino armamentario populo Christiano data vel vilissimo pretio divenderentur, vel ærugine atque situ squalerent. In quorum locum successit scenicus & theatralis apparatus, ad ostentationem verius comptus, quam ad masculæ & germanæ virtutis exercitium conformatus.

Ut vero *Religio* hoc visu mentem animumque perterrita, lacrimas tenere non potuit, quod in exercitibus istis, ad se tutandam conductis, parum, immo nihil sibi subsidii esse intelligeret: universa concio, propius succedens, gemebundam, & effusius flentem forti magnoque animo esse jussit, se enim ad extremum halitum *fidem* probaturos, & ultima prius passuros, quam se hosti dederent, aut abjectis armis pedem referrent.

Ad

Ad hæc Religio : Nihil est , inquit , o miseri & vani , quod me adloquio firmare aggredimini. *Fides* namque , quam mihi tam large liberaliterque offertis , & quam jaçtanter adeo prædicatis , certe non fides est , sed in his γνῶσις ψευδώνυμος , aut δόκησις iners , animos sui opinione inflans ; in illis simulacrum tantum , & idolon fidei , in quo nihil veri & solidi inest. Quid juvat habitu dumtaxat credentium profiteri sectam , & magnifice de fide virtuteque ejus disputare , ubi vitæ improbitas , & morum luxuria passim dominantur ? Non ore utique & verborum ornatu , sed *animo* , sed *opere* et *vita credendum* est. Quid rei mihi cum illis est , qui nimis similes sunt falsorum philosophorum , quos *Sarsinas* comice in hunc modum depictos , depexosque dedit :

*Tum isti Græci palliati ; capite operto qui ambulant ,
Qui incedunt suffarcinati cum libris , cum sportulis ,
Constant , conferunt omnes sermones inter sese drapetæ :
Obstant , obsistunt , incedunt cum suis sententiis.
Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio :
Ubi quid surripuere , operto capitulo calidum bibunt ,
Tristes atque ebrioli incedunt ?*

Testor per immortalem Deum , in primis a nato generis humani Sotere sæculis , cum terra sanguine Jesu adhuc maderet , & caleret , & candida Christianorum pectora incredibili illius amore flagrarent , in *uno* , qui pro confessione Christi mortem crudelissimam oppetere non dubitabat , sive cruci adfixus penderet , sive igni necaretur , sive candenti craticulæ impositus lentis cruciatibus consumeretur , sive ferarum tergis contectus , laniatu canum interiret , sive vicem & officium lucernæ
per

per noctem præstaret, sive fidicularum tormento distenderetur, sive bestiarum instar toto corpore degluberetur, in uno, inquam, teste veritatis plus mihi opis præsidiique fuisse, quam in sexcentis vestrum, qui aureis & argenteis paludamentis coruscatis, et multa facile ac benigne pollicemini; sed ad quemvis taratantaræ sonitum pavetis, et longe aliter, atque ostenderatis, facitis, cupressis similes, quæ sublimes cum sint ac pulchræ, fructum non habent.

Hæc ubi dicta dedit

Religio sanctas dilaniata comas.

Fide et caritate comitibus, degressa, protensis ad sidera palmis, in hæc erupit verba: „ Vah me „ miseram, et pæne ad incitas redactam! Puta- „ ram quidem, me in illis Ecclesiis, quæ, dis- „ cessione a magno illo Romanensi coetu facta, „ doctrinam purgarunt, et disciplinam sacrorum „ ad typum Apostolicæ feliciter satis instaurarunt, „ etiamnum cum magna animi delectatione om- „ nem cultum et ornatum veræ Christi Jesu spon- „ sæ deprehensuram; ut credere liceret, easdem „ hoc gloriantes summi honoris titulo sustinere „ posse acre judicium Dõmini Jesu, qui se exter- „ na rerum specie deludi non patitur, nec no- „ men sed rem amat Ecclesiæ Reformatæ. Sed „ tantum, proh dolor! filii degenerarunt a pa- „ rentibus suis, ut his, si ad mortales redirent, „ illorum levitate et dissolutis moribus foret eru- „ bescendum; et jam satis constat, ipsos quo- „ que illos cœtus, qui purioribus sacris sunt ini- „ tiati, non parum a prima illa castitate sui que „ integritate status deflexisse, quod ad discipli-

„ nam

„ nam morum attinet ; et læsa caritate , occasi-
 „ one disputationum de dogmatibus Religionis
 „ sæpe non necessariarum ab hominibus , sive
 „ petulantis , sive intemperantis ingenii , in qui-
 „ bus turbulenti carnis motus nondum gratia Je-
 „ su Christi erant subacti , intempestive et immo-
 „ derate agitatarum , unde lites , κακοζηλίας , si-
 „ multates , odia , διχοστασίαι , et crassus ac gra-
 „ veolens fumus in domo Dei ; et inopia pru-
 „ dentium , vigilantium , pacificorum , et rei
 „ spiritualis gnarorum Christi Jesu Ministrorum ,
 „ quorum est hæc lolia in herba suffocare , et
 „ purum ab impuro , sanctum a profano accura-
 „ te discernere , et diligenter attendere , ne mun-
 „ dus permisceatur Ecclesiæ ; scissos esse in par-
 „ tes ; et tam studium Religionis , quam carita-
 „ tem mutuam in iis refrixisse ; et cum tempore
 „ multa admisisse vitia et offendicula , nec exi-
 „ guam contraxisse labem , quæ gloriam eorum
 „ decusque obscurarit ; nec posse adeo se ipsos ,
 „ si amor sui non plus , quam concedit veritas ,
 „ largiantur , in speculo perfectæ legis Evangelii
 „ contemplari absque pudore ; aut dignos se ha-
 „ bere , qui sine mundiore et ornatiore cultu de-
 „ mereantur integros et puros sponsi sui amores ,
 „ et ab ipso inter cœlitum júbila introducantur
 „ in conclave Patris sui ad celebrandas festivas nu-
 „ ptias , novissimo tempore expectandas . „

Quam velim , Auditores , ut ficta hæc historia
 veros cieat animorum motus ? Ad ἐπιμύθειον mo-
 do nunc viam parare occœpi ; scilicet ut diligen-
 ter nobiscum reputemus omnes , *Christianam Reli-
 gionem non multitudine profitentium constare , sed
 pietate*

pietate adversus Deum et homines , quæ in animis infidet , et omnes vitæ actiones dirigit ; neque Sectatores suos implicatis spinosarum quæstionum cassibus fatigari et impediri velle , sed totam in supremi *Numinis reverentia* occupatam esse , et omnium præceptionum suarum summam ad id referre , ut mortales , ubi sunt , pie casteque Deum venerentur Ter optimum Maximum , Deum , inquam , qui per omnes mundi partes æque atque in nobis ipsis com meat : cui nihil clausum est , qui animis nostris interest , et cogitationibus mediis intervenit : qui , quæcumque mente agimus , aut ore proferimus , aut vita exprimimus , sive domi , sive foris , sive soli , sive in celebri- tate hominum , penitus explorata habet : qui ne- que bonum , neque malum facinus cujusquam pro nihilo ducit , sed diversa præmia bonis , ma- lisque rependit : qui de flagitiosis ac sceleratis ju- dicium et pœnas exercet : qui cultores suos innu- meris beneficiis atque ornamentis adfcit.

Religio , si et vocem et rem ipsam consideretis , est obligatio , qua & Deo jungimur , & cum aliis mu- tuo caritatis nexu consociamur. Ab hoc capite qui recedit , et plura scire furit , quam Deus verbo suo præit , et cum modestis sobriisque pectori- bus , qui paucis contenti sunt , sibi acriter dimi- candum et digladiandum retur , næ is dum ma- xime *religiosus* esse contendit , vix imaginem Reli- gionis retinet , et *nubem* quod ajuut , pro *Junone* amplectitur.

Quid anxie ex recondito decreta sempiterna scru- tamur regis cœlitum , ante cujus ora ipse sol , lu-
cis

cis pater, opaca nox est? qui coruscant fulminis vim vibrat, unde Tartari specus tremit, unde montes ab imis sedibus quasi vaporant, unde æstu pelagus fervescit, atque undæ fremunt, unde terræ dehiscunt, et cœlorum porta tonat? Et nos homuli ex argilla et luto ficti, nos fragilia vascula, nos terra pulvisque, nos somnium, immo somnii fugacis umbra, speramus angusto sinu claudere illum, quem nec arduus æther, nec cuncta cœlorum templa complecti queunt? Quæ nos phrenitis avios mentis rapit? Quæ tumida arrogantia et insolentia pectus inflat? Quin potius omni virium contentione illud agimus, ut talem Deum summisso metu rite colamus et piemus, qualem sese in sacro codice explicavit. Quum horridus tubarum clangor nationes evocabit, et *Rex Deo satus* nova luce fulgens cunctis gentibus immota jura dabit, numnam tunc loci quæsiturum putatis, et scrupuloso examine ponderaturum, *quæ prima primi peccati causa sit; utrumne Adam, gentis humanæ sator, fati, an spontis suæ crimine lapsus fuerit; an voluntas proprio stet arbitrato, rectoris expers; unde originis lues immissa sit terris; num anima sit tradux poli, an cum parentum semine procreetur; quis ordo rerum, sitne instabili fortunæ locus, an cuncta irreflexis consent legibus vique ineluctabili; an Deus, supremus rerum omnium arbiter, absoluta sorte illos salutis destinet, hos sempiternis ignibus; num hic mundus sit optimus, ut meliorem Deus condere non potuerit; utrum essentiæ rerum æternæ sint, an temporariæ, & si æternæ, num necessariæ in Deo, an arbitrariæ; quæque alia otiosa mens multo cum labore perpetim quærit, et vix tandem invenit? Quorsum, quæso, ista tendunt? Quid tot disputa-*

sputationibus , tot velitationibus , et tricis opus est? *Vox* illa , divino ore missa , veri fide dignissima testis , & vitæ datrix certissima , vox quæ *salutem nuntiat resipiscentibus & credentibus* , late per omnes mundi plagas didita est. Nullum juvabit inscientiæ color , nec curiosæ indaginis indigemus ; meridiano sole clarius liquet illa Ter sancti Numinis voluntas , quæ fidelibus & a pravitate morum ad virtutis studium reversis cœlum recludit. Hanc septuennis puer & aure haurit , & animo complecti potest. Quidni hic *limes* sit , quem hoc illove modo demutare aut transire nefas ducendum? Quidni multa defixi metu *miremur* , haud *rimemur* , cum inquiri haud deceat , quæ mortalium imbecillitas non capit , et insipientis scientiæ opus sit , plura sciscitari , quam Deus docere vult? Legem supremam veritatis continet cœleste verbum , ad cuius normam omnia omnium aliorum dicta & scripta sunt exigenda. Hæc est *ammis-*
sis , ad quam cetera exæquanda ; hæc est *cynosura* , index poli fallere nescia ; hæc vera sunt *ancilia* cœlo lapsa , nulli movenda ; hic hæret ille *Terminus* , quem qui ducem sectatur , & rectam *fidem amore* mixtam , is solus verum videt. Et si in disciplina militari laudi habetur , imperia ducum non interpretari , sed exsequi ; quanto magis id valebit in *disciplina Christiana* , quæ sane non *contando* , sed *parendo* constat?

Vos itaque , *sacri Religionis custodes* , qui ad gubernacula reip. sedetis , vos heic compello. In eo quidem dignitatis atque eminentiæ gradu , Deo sic providente , collocati estis , ut aliis leges imperetis ; sed ipsi vobis , obsecro , hanc primam

& principalem imponite legem, ut, quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate movere potueritis, hoc omne *Religioni* semper sit; ut illa in venis medullisque vestris hæreat, & omnibus consiliis vestris præsit atque intersit; ut illi a civibus, & ceteris ditioni vestræ subjectis *pure*, non *pure litetur*; Religioni, inquam, quæ neque supremi Patris consilia nullis sensibus eruenda irrumpt, neque in externo rituum & ceremoniarum apparatu spem atque fiduciam reponit, sed *simplici fide*, in dilucidis sacrarum Litterarum oraculis innixa, & *ardenti* in Deum hominesque *amore* absolvitur. Compescite suffenos, & stultos sui ipsorum admiratores, qui modum sibi non figunt, quem fors caduca suadet, & propriæ opinionis tenaces applausoribus gaudent, nec Regnum Dei quæritant, sed gloriam suam unice affectant. Nolite vero etiam mites esse illis, qui, dum quieti student, facile concedunt, ut veritas neglecta frigeat, ac scienda nobis lateant. Amore, gratia, benevolentia complectimini eos, qui Religionis vinculum habent sanctissimum, & persuasi estote, id quam maxime ad laudem decusque vestrum pertinere, si simplex fides, si Deo placendi & legibus obsequendi gloria, si virtuti impensum studium, si humanitatis cultus, in tota civitate vestra regnet & floreat. Sola, sola, inquam, est Religio, quæ bonis & æquis legibus auctoritatem conciliat, quæ laudabiliter factis digna præmia constituit; sine quibus domus nulla, & civitas nulla consistere potest. Tollite utrumque, nihil jam cupiditati, nihil libidini erit exceptum, sed quidvis agendi licentia in omnes repente se vulgabit. Abrogate doctrinam de Deo, indulgentissimo

mo erga pios Patre , & iustissimo adversus impios
 Judice ; suppressite cœlestia præcepta , quibus ad
 cultum veræ majestatis mentes hominum instrui
 possunt : neque metus ultra , neque pudor erit ,
 principum gratia & dignitas e sedibus suis convul-
 sæ jacebunt , & omnia divina atque humana jura
 permiscebuntur. Donec sapientes legum sancto-
 res præcepta Religioni superstruxerunt , populo-
 rum , nationumque res mirifice creverunt ; simul
 atque vilis illa haberi cœpit , justitia & æquitate
 in exsilium ejecta , tyrannis arcem occupavit , cui
 quum alii colla subdere detrectarent , intestinis
 bellis turbata omnia & everla fuere. At vero
 forsitan cives in officio contineri posse putatis ,
 si audiant , non aliud ad *multifarias utilitates fru-
 ctuosius* esse , quam si superioribus reverenter pa-
 reant , & legibus obtemperent. Sed nihil agitis ,
 & in cassum operam consumitis. Plures enim
 tam *hebeti* plumbeoque sunt *ingenio* , ut talia non
 percipiant ; ceteris animus ab *ignavia* & torpore
 usque adeo corruptus est , ut , quantum ista va-
 leant , non quidquam pensi habeant. Insanus *li-
 bertatis amor* , & falsa de illa persuasio in auribus
 multitudinis elumbia reddunt omnia argumenta ,
 quibus legum necessitas vel ab disertissimis rheto-
 rum adstrui & evinci solet. Sapientissimum &
 iustissimum *ordinem* , ex quo salus rerum publica-
 rum pendet , improbi cives , si cupiditatibus suis
 obstet , & præjudicatis opinionibus repugnet , ita
 averfantur & detestantur , ut summa potius imis
 confundant , quam se in illum redigi patiantur.
 Quodnam remedium huic malo adhibendum ?
 Obsequentissimi profecto erunt cives , si persuasi
 fuerint , *leges* , quas ipsis servandas præscribitis ,

non dignitatis tuendæ causa, neque ex dominandi lubidine ferri, sed ex *jussu supremi* totius universi *moderatoris scisci*, & cum ejus voluntate oppido congruere, cui si quis morem gerere renuat, acerbissimas pœnas soluturum. Cum primum certo crediderint, reges ducesque gentium Dei vice clavum tenere, & rectores summa observantia colent, & imperata obedienter facient. Contra ea ubi Religio prostrata jacet, unusquisque sequendum sibi putat, quo indomitarum cupidinum æstu & furis rapitur. Quæ hoc penitior æstimatione perpendenda existimo, quo plures hac tempestate passim deprehenduntur, qui bellum Religioni faciunt, qui necessitatem & utilitatem ejus deminuunt & extenuant, eamque ita dedignantur & fastidiunt, ut eos, qui vel obiter illius mentionem injiciunt, aut in superstiosorum numero habeant, aut fungos, bardos & blennos clamitent. Quin eo mali ventum est, ut qui machinas speciem aliquam præferentes Religionis arietandæ causa machinantur, tamquam *belli & politi homines* per ora omnium volitent; qui fere in eo se a credulæ plebis sorte eximunt, quod ea infensis animis inuadunt & rodunt, quæ non intelligunt, & in dubium devocant, quod numquam examini subjecerunt, vel ex libro aliquo liberius contexto ratiunculas adversus veritatem confarcinant, quas memoriæ quidem mandant, sed obtuso ingenio suo non adsequuntur. Si magni belli timor impendet, si contagiosa lues multos consumit, si regio magna inopia rerum necessariarum conflictatur, si aliis calamitatibus homines premuntur, nascuti isti nunc, *rerum civilium prudentiam*, nunc *naturalem causarum nexum* in auxilium

xilium vocant, & ex hisce fontibus omnes illos casus derivant. Sed quem laboris fructum ferunt? Vel plurium animos offendunt, vel ut pestiferi homines & civitatum retrimenta cane peius & angue vitantur, vel alios ad liberiores vitam ultro propendentes metu, qui adhuc pravis lubidinibus frena modumque posuit, exsolvunt. Præterea nemo inficias iverit, *imperantium gloriam & potentiam* non in amplitudine finium, non in munitione oppidorum, non in equorum copia, non in sumtuoso & splendido corporis habitu, sed in *multitudine populi* sitam esse, quia per multitudinem bona, quæ pluribus communia sunt, se quaquaversum latius diffundunt. Quænam causa est, quod homines in omnibus terrarum orbis partibus in societates coiverunt? Sine dubio id unum eos movit, quod unicus homo sibi non omnia comparare poterat, quibus ad bene commodeque vivendum, & se suaque a malignorum violentia defendendum opus habebat. Atqui multarum rerum quotidie ferme indigi sumus, & numquam non periculum est, ne latronum globus inopinantibus superveniat, nosque rebus omnibus exuat. Ex quo consequitur, longe perfectiorem & tutiorem esse societatem, quæ pluribus, quam quæ paucioribus civibus constat. Præclara est illa vox *Q. Catuli*, qui, cum *Sylla* bello civili in omnes sæviret, obviam ei factus, *cum quibus*, inquit, *tandem victuri sumus, aut quibus imperabimus, si armatos in bello, & intermes in pace occidimus?* Prudenter & callide judicabat, maximum principum ornamentum esse multitudinem populi: nam si principes populo destitutos hostis inuadat, non habent qui eos tutentur, & se in-

gruentibus periculis objiciant. Sed quomodo regionis incolas ævum traducturos arbitramini, si omnis Religio ex illa proscrip̄ta foret? Eo dem̄tix̄ & rabiei descenderent, ut quoties ipsis aliquid parum ex voto procederet, aut malum aliquod immineret, mortem sibi consciscerent. Constat, subitos & concitatos animi motus omnia in maius extollere, nec quidquam ante oculos ita nobis proponere, uti revera est. Quo facile fieret, ut quod in se leve est & moderate perpetiendum, sed vehementiore affectu ut immane & truculentum turbatæ menti repræsentatur, nos ita transversos auferret, ut impendens malum voluntario e vita exitu anteverteremus. Talibus fracti & desperantis animi consiliis promte occurrit & medetur Religio, præsertim Christiana; quippe quæ plane ac luculentur docet, quod humanæ res fluxæ & mobiles sæpius in adversas mutantur, non fortuito id casu fieri, sed provida sapientissimi Dei ac benignissimi Patris cœlestis cura & gubernatione, qui non modo varietate isthac mortales admonere velit, quantillum sint, sed etiam incommoda accepta majoribus commodis sanare, & maximum detrimentum in bonum vertere possit; et quia eadem Religio flagitiosos scelera sua æternis suppliciis expiaturus adfirmat, hac formidine multi ad emendatiores mores transferuntur, ut et sibi, et aliis, quibuscum in eadem societate degunt, prosint. Hæc *Religionis necessitas et utilitas* tam conspicua et manifesta est, ut nulli usquam gentium latores legum, nulli reges et principes populorum illam neglexerint, sed contemtionem illius gravissimis animadversionibus et pœnis vindicarint. Nec immerito. Nam

Religio

Religio arctissima societatum humanarum veluti *compages* est, qua soluta et discussa, quidquid uspiam in unum coaluit, concidat et pessum eat necesse est. Ite per veterem *Judæorum* historiam; cur illi divinæ ultionis exemplum semel iterum dederunt? Ob scædatam, et præfracte violatam Religionem. Evolvite omnes auctores, qui initia, progressum et finem *Imperii Græcorum Christianorum* memoriæ prodiderunt; ecquid florentissimas illorum res labefecit, et ad nihilum redegit? Quo magis in omni genere flagitiorum et scelerum volutati, Christianam Religionem commaculare, hoc propius ab interitu abfuere. In memoriam revocate, quæ de *priscis gentibus* relata legistis; annon acerbitates et calamitates omnes, quibus idemtidem dilacerabantur, vel neglectim habitæ, vel violatæ Religioni adsignantur? Nam si quid negotii propitiis Diis susceptum fuerat, bene prospereque id sibi processurum sperabant, aut spe immortalitatis ad maxima quæque audenda excitabantur; e contrario fracto et demisso erant animo, quoties perperam factorum conscientia urgebantur, quia iratis superis tristem eventum metu præsumebant. Si vero illis in tanta rerum divinarum caligine et superstitionis erroribus *Religionis opinio* tantum commodi vel noxæ attulit; dubium non est, quin *veræ Religionis contemptus* plus damni in *remp.* laturus sit. Quocirca, *viri civitatis nostræ principes*, id eniti decet; quum ipsi boni, atque strenui sitis, uti quam optumis imperitetis: nam pessimus quisque asperrime rectorem patitur. Illi autem sunt optumi, qui Numinis reverentia a malis moribus dissentiant, et in omni

vita sua magnopere cavent, ne quid præteritum excusandum habeant.

Vos vero, *publici Religionis doctores & præcones*, qui editas cœlitus voces resignatis, date, quæso, operam, ut diurni atque nocturni, recisis inutilibus, incertis, & ad æternitatem parum profuturis, ea cum mente vestra voluatis, quæ ad fundamenta atque ornamenta Religionis Christianæ spectant, et salva salute a veris Christi Jesu sectatoribus ignorari nequeunt. Recte quidem fecerimus, si non serviliter sequuti fuerimus antecedentium gregem, nec in magistri verba juraverimus, sed interpretum sententias ponderaverimus. Quisquis enim hoc temperamentum, dum non amore litium, nec obstinata mente, sed bono more, piaque sine fiat, improbat et damnat, omne humanitatis sacrum secludit, sibi que tyrannico ritu suprema jura, vimque dictatoriam vindicat. Quid posteri prioribus addidissent, quid docta patrum cura ad manus nostras pervenisset, si hoc jus foret? Sed *sciendi calorem* temperemus, nec simplicia oracula sacra quæstionum ambagibus implicemus. Recta de Christo *fides perennem vitam spondet*: is malum meret, malumque habebit, cujus sitim non restinguit vita nullis temporum metis circumscripta, quam nulla vox mortalis effari, quam nulla mens corpori suo affixa capere valet. Hanc nobis metam scripta sacra limpido sermone monstrant, sufficitque talibus intexta chartis scire, et aliis scienda proponere; et quidem ita proponere, ut mens tota divinæ veritatis amore capiatur. Neque enim putandum est, in *verbis scripturæ* eorumque *sono* Evangelium esse, sed

in

in *sensu*; non in *superficie*, sed in *medulla*; non in *sermonum foliis*, sed, uti scite ait Hieronymus, in *radice rationis*. Tunc Scriptura sacra audientibus utilis est, cum absque Christo non dicitur; cum absque Patre non profertur; cum sine Spiritu non eam insinuat ille, qui prædicat: alioquin et diabolus, qui de scripturis loquitur, et omnes hæretici, secundum divinum vatem Ezechielem, *inde sibi consuunt cervicalia, quæ sub cubito universæ ætatis ponant*. *Missa disputatrice* et sanguinante *eloquentia*, cuius usus malis moribus natus est, fila superni et non mentientis libri persequamur, et nocentem *curiositatem*, quæ Dei causæ hominem permiscet, et sequi gaudet sciri negata, coerceamus. Nam prurientis ingenii lascivia, si non salubri contineatur ordine, licenter evagatur, ac præceps ruit, ut unda torrens et rapida, aut ut effrenis fera, campos patentes nacta; quam fortibus lupatis urgere solent, ut discat jugum pati. Libido nostra sibi indulgens magis magisque crescit, ceu dirus hydrops, et semitam almæ salutis deserit, dum intimos æternæ mentis recessus penetrare tentat. Doctrina vitæ malis est odor mortis, et desperationis ansa, nisi fidum ducem nacta sit; optimus autem dux et interpretis est mens abjecta, quæ nihil sibi arrogat, et soli summo Deo cuncta defert. Quid non turbatur oritur, si *ambitio*, si eminendi feruor, si cupidus famæ vinci dolens animos insedit? *Vestis hæc novissima* vix ipsos recti magistros, et *sophorum principes* ante supremum diem relinquit, et idem morbus frequens corripit *sacrorum mystas*; quos ubi semel intravit hæc dira pestis, et furens famæ famas, vix ulla salutis spes restat: nec modus nec metus

vagæ mentis impetum tardat. Quum sæva odia fratres exagitant, confestim certamen atrox instat, et majus malum, quam cui medendo humanus labor par sit: interim longe fugit, nec sese dimicantibus conspiciendam præbet *sancta veritas*, *sanctæ pacis amica*. Certaminis calor, sui que palpum, ac nimia æstimatio has *geminas sorores* malo & molesto divortio segregant. Accedit his & alia haud minor labes, quæ neque levamen quærit, at sibi placet. Sunt namque qui *doceri* turpitudini & *probrio ducunt*, & crimen deputant februis expiandum, si quis seorsim a sensu suo sentiat. Hæc vitia celsis etiam mentibus agnata, fastus non tolerandos arguunt, & pacis ac concordiæ spem intervertunt. Hæc pravitas, qua grex Dei eheu? in factiones scinditur, semper fuit, eritque semper ab ævo in ævum. Nulla cura expellere & abigere naturam potest, rursus in sese redit. Magister mentes juventæ ad recti studium decusque flectit; at non vim refingit insitam. Doctrina mores in ceræ modum, lutique mollis format; at quod potens insevit natura, nullis edomatur et evellitur artibus. Doctrina instar gladii est in manu insanientis, nisi *mens recta*, imperatrix atque dux mortalium, agmen ducat, & clavum regat. Nulla vero mens recta est absque supremi *Numinis metu*, & *sanctæ caritatis vinculo*. Hanc disciplinæ suæ doctoribus & alumnis legavit Redemptor ad Patrem cœlestem abituriens, qui totus nil nisi caritas est fuitque. Hac tessera suos orbis instaurator signat, & hoc sacramento obligat. *Pax & alma caritas*, tantopere ab optimo Magistro commendatæ, mortale semen ex asse heredem Dei statuunt: quo quid auspiciatius ac
beatius

beatius aut ore dici , aut corde fingi possit , pro-
fecto non video. Quin ipsa vetus *legum* sanctio,
decem jussis comprehensa , & ore Celsissimi pu-
blicata , utramque paginam solo *amore* replet. Si
pacem atque caram veritatem dulci jugo una jun-
xerimus , per imprudentiam labentem , & magis
ineptiis , quam improbitate peccantem , misera-
bimur potius , imbecillitatis humanæ , cujus &
nos conscii nobis sumus , memores , & amice
corrigemus , quam , scissis sacræ pacis *Συντηγι-
αις* , calcabimus , & odio plebis exponemus. *Quis
est tam lynceus , qui tantis tenebris nihil offendat , nus-
quam incurrat ?* Desipere , lapsare , errare prona
gens sumus & stirpe terrena fati peccamus omnes ;
uni Deo non peccare competit , isque solus in clarissi-
ma , id est , sua luce verum videt. Dum in hac
obscuritatis valle versamur admirandum non est ,
si in aliqua parte , more gentis humanæ , quæ
multa sorte naturæ nescit , & ignorantia nubem
involvitur , nos error capiat : quo tum demum
prorsus vacabimus , si caliginoso sæculo , & se-
micæcæ palpitantium turbæ adempti , claros &
planos beatæ lucis campos incoluerimus. Interim
omnia studia , omnem curam , industriam , co-
gitationem , mentem denique omnem in eo fige-
mus & locemus , uti sanctissimam *Religionem* , quam
orationibus nostris prædicamus , *vita sanctimonia*
& morum castitate condecoramus. Si quod aliis
suademus , ipsi in actionum nostrarum cursu ex-
primimus , & ævum ita transigimus , ut , quis-
quis in nos sagaciter , & acrioribus oculis intuetur ,
certus esse debeat ; nos omnem dignitatem , ve-
rumque decus in Dei & hominum conspectu in
virtute positam existimare : cum fide audimur , &
quid-

quidquid proferimus, in pronos mollesque animos influit. Sin languide & remisse agimus, & fervor, quo in causam Domini nostri ferimur, tepescit; si vivendi ratio ab iis, quæ docemus, & credi volumus, diffidet & discordat; si ad sententiationibus *horum* gratiam aucupamur, & *illos* ob fortunæ tenuitatem despiciatui habemus; si nos atterit tam fœda servitus, ut composita dicta pectore nostro evolvamur, quæ ab intimo mentis sinu discrepent; si nunc *amori* plus, quam veritas concedit, largimur, nunc *odii* & invidiæ stimulis obsequimur; si in hominum maximis sceleribus connivemus, minora aspertime increpamus & perstringimus: qui nos audiunt, etiam si ipsa *suada* in labris nostris sessitet, numquam nobis ex animo credent, sed, dum nos fluctuantes conspiciunt, in maximi momenti rebus fluctuari incipient, donec mens ad deteriora arripienda natura proclivior, postremo hæsitazione eo provehatur, ut sacra omnia illi sordeant, & vilipendantur. Quare sæpiuscule mecum cogitare soleo, annon culpa frivoli Religionis omnis contemptus & neglectus, quem vulgo *Atheismum* vocant, maximam partem in eos Religionis doctores recidat atque exundet, qui irreligiosius agendo Religioni vim & majestatem omnem adimunt.

Sed et huc propero, ut ceteros omnes exhorter ad suscipiendam cum vera *Religione Sapientiam*:
 „ Cujus vis, et officium (egregiis *Christiani Ciceronis* verbis utor) in eo vertitur, ut contemptis terrestribus, et abjectis erroribus, quibus antea tenebamur, fragilibus servientes, et fragilia concupiscentes, ad cœlestis thesauri æter-

„ na

„ na præmia dirigamur : quæ ut capere possi-
 „ mus , quam primum omittendæ sunt hujus præ-
 „ sentis vitæ illices voluptates , quæ animas ho-
 „ minum perniciosissima suavitate deliniunt et
 „ inescant. Quanta felicitas existimanda est , sub-
 „ tractis his labibus terræ , proficisci ad illum æ-
 „ quilimum judicem , parentemque indulgentis-
 „ simum : qui pro laboribus requiem , pro mor-
 „ te vitam , pro tenebris claritatem , pro terre-
 „ nis , ac brevibus bonis æterna , et cœlestia lar-
 „ giatur : cum qua mercede acerbitates ac mise-
 „ riæ , quas perpetimur in hoc mundo facientes
 „ opera justitiæ , conferri , et coæquari nullo
 „ modo possunt. Proinde si sapientes , si beati
 „ esse volumus , cogitanda , ac proponenda nobis
 „ sunt non tantum Terentiana illa , molendum
 „ esse usque in pistrino , vapulandum , habendas
 „ compedes , sed his multo atrociora. Carcer ,
 „ catenæ , tormenta patienda , sustinendi dolo-
 „ res , mors denique ipsa et suscipienda est , et
 „ ferenda : cum liqueat conscientiæ nostræ , nec
 „ fragilem istam voluptatem sine pœna , nec vir-
 „ tutem sine divino præmio fore. Universos
 „ igitur oportet operam dare , ut se quam pri-
 „ mum ad rectam viam componant : ut susceptis ,
 „ exercitisque virtutibus , et hujus vitæ laboribus
 „ patienter exactis , consolatorem Deum habere
 „ mereantur. Pater enim noster , ac dominus ,
 „ qui condidit firmavitque cœlum , qui solem
 „ cum ceteris sideribus induxit , qui libratam ma-
 „ gnitudine sua terram vallavit montibus , mare
 „ circumdedit , omnibusque distinxit , et quid-
 „ quid est in hoc opere mundi , conflavit , ac
 „ perfecit e nihilo : perspectis erroribus hominum ,
 „ ducem

„ ducem misit , qui nobis justitiæ viam panderet.
 „ Hunc sequamur omnes , hunc audiamus , huic
 „ devotissime pareamus : quoniam solus , ut ait
 „ Lucretius ,

„ *Veridicis hominum purgavit pectora dictis :*
 „ *Et finem statuit cuppedinis , atque timoris :*
 „ *Exposuitque bonum summum , quo tendimus omnes ,*
 „ *Quid foret , atque viam monstravit tramite parvo :*
 „ *Qua possemus ad id recto concedere cursu.*

„ Nec monstravit tantum , sed etiam præcessit :
 „ ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret. „
 Nihil nos scire delectet , nisi quod ad salutem pro-
 fit , et scito opus est. *Cultus Dei* non situs est in
 anfractu sophisticarum captionum , nec fides Chri-
 stiana aculeorum gente gaudet : *veritas sub ictu hæ-*
ret , dum nimis contenditur. Felix remota factioni-
 bus vulgi *Religio simplex* , arte non laborata : quæ
 certa et persuasa , cruenta Christi morte mortali-
 um culpas dilui et expungi , hic spem , fiduci-
 amque ponit , et certo credit , gratis dari salutem ,
 promerentibus pœnam : sanctique amoris lene mu-
 nus obiens non curat altum sapere , nec minutius
 et scrupulosius inquit , an omnia ventura certa
 et immutabili lege veniant ; quomodo Rector uni-
 versi , malorum exfors , malum nolit , velitque ;
 quatenus summa caussa velle nostrum potente nu-
 tu moderetur. *Felix illa Religio* , quæ adulta lon-
 gis temporum decursibus commenta , in veri vi-
 cem subrogata , repudiat , nec futilium et ridicu-
 lorum rituum mole , ac histrionalibus gesticulati-
 onibus mortales obruit , sed *vita puritatem* , et be-
 neficentiam , ut fidei effectus , exigit : quæ cul-
 tum divinum non in crassis , et incertis ideis , non
 in

in dogmatibus nove inventis, sed in *adoratione Patris in spiritu & veritate* constituit: quæ in *precibus* ad Deum fundendis non quæsitum aliquem, et veræ devotioni officientem ardorem, sed sedatum, et ab aliis curis vacuum animum, qui Deum ut Patrem placide affatur, et quid sibi ab illo dari cupiat, modeste profert, requirit: quæ *Amorem Dei & Soteris* nostri non fanatico adflatu, nec inusitato corporis motu, sed candida et prompta *Præceptorum Christi observantia* constare adfirmat. *Felices* et illi, quicumque ambitu liberi, nec vana lucra, nec leves plausus captantes, ad cœlestiores curas excitati in astra tendunt, et Deum in Servatore orbis nosse student, qua se ipse cognoscendum pandit, et suspensis gressibus per periculosas ambages ambulat, divini codicis ductum sequentes: qui non certaminum, sed solo amoris æstu flugrant, et *credere, quam disputare malunt*: qui non pompæ, sed vitæ exigendæ discunt, et hunc optimum esse judicant, quem minima probra scédant, seu minus malum: qui famam verentur, at conscientiæ magis student, et culpas, quatenus bonis fas est, vitant, mores ex honesti regula formant: qui modestiæ limitem premunt, et nunc verba veritati donant, nunc silentium paci: qui id unice in votis habent, ut tota civitas Christi unum spiret, vitamque terris, fidem cœlo approbet: qui errorum et lapsuum pertæsi, ex terreo carcere emigrare gestiunt, Christoque jungi, qui salutis apex est.

Vos denique, *Adolescentes Ornatissimi*, qui vel civili prudentiæ operam datis, vel ad sanctiorem disciplinam animum advertitis, vos per æternam
 misera-

miserationem cœlestis Patris, qui vos plurimis maximisque beneficiis usque a cunabulis et primis unguibus adfecit; vos *per* calentia vulnera Jesu Christi, qui gravissimum supplicium subiit, ut vos sibi adsereret; vos *per* salutiferam communionem Spiritus sancti, qui a Patre donatur, ut vos viva templa æternitati consecraret; vos *per* felicitatem nulla die finiendam immortalis mentis, quæ corporis ergastulo illigata est; vos *per* parentes, qui optant, uti boni honestique vitam transeatis; *per* Patriam, de qua bene mereri, nihil ex omnibus rebus humanis præclarior est, aut præstantius; vos *per* desiderium tranquillitatis animi, quo, si quidem ex ratione agere velitis, tenemini; vos, inquam, omnibus precibus oro atque obtestor, uti neque prius neque antiquius quidquam habeatis, quam ut in hoc ætatis flore adversus caco-dæmonis insidias, adversus mundi illecebras, et juveniles cupiditates *Religione*, tamquam fortissimo propugnaculo, vos *communiatis*, et dum licet, dum facultas adest, dum integer sanguis, dum primi floret vobis temporis ætas, vos ex libidinum voragine liberetis. Illud fixum in animis vestris tenetote, tum demum vos *vivere* cœpisse, cum *Deo vivitis*. Hac sola gaza reposita beatissimi et opulentissimi eritis, donec vivitis. Virent nunc quidem vobis genua, rident genæ, rubet in vultu purpura. At profecto *pleni* nimis essetis *auricularum*, si hoc nomine spes longas inchoaretis, vobisque Nestoreos promitteretis annos. *Febri culosi* sumus *mortales*; pituitam, bilem, suspiria, tusses, et mille alia fragilitatis documenta a prima infantia in hoc caussario ac fluido perituroque corpore nobiscum circumferimus, et qui hodie

die in vitas, crastina fortassis morti proximi sumus, et ad *frigidam vitæ pausam* translati. Quam utile ergo, quam dulce et necessarium vobis erit, in tirocinii vestri cursu in primis didicisse pulchram illam rem: *animos cælo inferre, ante quam animas inferatis*, et vos tota mente Deo dicare atque dedicare, ut illum diem securi expectetis, quo præses, dominusque mundi de singulorum factis, cogitationibusque judicabit. Sed esto, vos ad ipsos exactæ ætatis terminos venire, idemtidem memineritis, rogo, *laudabilem senectutem* (quod aureum verbum in foro Cracoviensis civitatis majusculis litteris inscriptum esse accepimus) *duobus quasi scipionibus niti, recordatione vitæ honestæ ante actæ, & spe vitæ melioris*. Quæ hic expetuntur, non tantum negligite, sed effugite: potiolemque animam vestram judicate, quam bona ista fallacia, quorum caduca et incerta possessio est: migrant enim quotidie, et multo velocius exeunt, quam intraverant; et tamen si vobis usque ad ultimam horam istis frui liceat, tum certe aliis relinquenda sunt. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene atque innocenter transactam. Ille ad Deum copiosus, ille opulentus adveniet, cui adstabant continentia, misericordia, patientia, caritas, fides. Hæc est hereditas vestra, hæc nostra, quæ nec eripi cuiquam potest, nec transferri ad alium. Quisquis corruptelas terræ virtute calcaverit, hunc arbiter ille summus et verax ad lucem, vitamque perpetuam suscitabit: nemo divitiis, nemo fascibus, nemo eruditione confusus sit, immortalem ista non faciunt; sed fides Deo servata, sed virtus a sæculi sæce non contaminata, sed pietas ad mortem usque culta æternant. Quare, dum spi-

ritus hos regit artus , infatigabili militia Deo mili-
temus , stationes vigilasque celebremus , et cum
hoste , quem novimus , fortiter congregiamur , ut ,
quum summus Imperator venerit *exercitum recogni-
turus & lustraturus* , non tamquam desertores et
proditores pœnas luamus , sed ut *evocati , electi &
fidi* , in vado felicitatis quiescentes , victorum
præmia consequamur.

D I X I.



J. H. S.